

PASTOR,
 HOC EST,
THESES SEU CA-
NONES CUM EXEGE-
 SIBUS,
 De functione Pastoralis.

Quas
 Christo auxiliante,

SUB PRÆSIDIO

REVERENDI ET CLARISSIMI VIRI,
 DN. HERMANNI RAVENSBERGERI, SS. THEOLO-
 giæ Doctoris, & in illustri Nassoviorum Heibornæ Professo-
 ris præstantissimi, Præceptoris sui multis
 nominibus colendi,

Publicè examinandas proponit

Johannes Amos Niwniczenfis Moravus.



HERBORNÆ NASSOVIORUM,
 Ex officina typographica Christophori Coryvini.

clō 1ō C XI.

REVERENDIS, CLARISSIMIS,
JUXTA AC EXCELLENTISSIMIS
VIRIS,

D. JOHANNI LANETIO	}	Ecclesiarum Orthodoxarum per Moravi- am & Bohemiam, Episcopis dignissimis vigilantissimisq; : Dn. Mæcenatibus, fau- toribus, promotoribus, patronis ac patri- bus in Christo æternùm honorandis.
D. JOHANNI CRUCIGERO		
D. MATTHÆO KONECZNY		


ITEMQUE

VIRIS REVERENDIS, PIETATE
ET ERUDITIONE CON-
spicuis,

D. GEORGIO ERASTO, Ecclesiæ Hun- nobrodensis Pastori fidelissimo:	}	Olim Præcepto- ribus suis jugi- ter suspicien- dis.
D. WENCESLAO PONTANO, verbi di- vini apud Fulnecenses OEconomus vi- gilantissimo:		
D. THOMÆ DUBINO, Scholæ Præren- sis Moderatori quâ dignissimo, quâ fi- delissimo:		

Hasce studiorum suorum primitias in grati
animi declarationem, & debitæ observan-
tiæ tesseram, humiliter & officiosè inscri-
bit, dedicat & offert

Johan. Amos, N. Resp.



I S A G O G E.

BEnè dixit quidam ex patribus, Regimen animarum esse artem artium, sentiens & difficillimum esse opus, & singularem requirere peritiam. Multi, proh dolor, pastores agere volunt, cum ipsi potius, ut ab aliis pascantur, indigeant. Tales non moventur ovium salute, sed propriis commodis stimulantur; quibus melius esset, si nunquam nati fuissent. Nam horrendam Dei iram sibi thesaurizant, in diem iræ & revelationis Jesu Christi. Hi sanè non tam sollicitè quærerent onus, cui ferendo non sunt, si cogitarent, qualis sit res ovile Christi: si perpenderent, quàm pulchra & Deo grata sit ovium Christi societas, in cujus medio dominus ille est, cui Sol & Luna famulantur, cui assunt ministrorum millia millium, & decies centena millia: si intelligerent, quantæ molis sit, Christianam condere gentem, hoc est, regnum Christi erigere, & Satanæ palatia demoliri.

Cum igitur tam angusta sit pastoris functio, tam ardua, tam periculosa, tam divina: operæ pretium nos facturos existimavimus, si de pastorali functione nonnulla ex verbo Dei colligeremus, & methodicè disponeremus.

T H E S I S I.

Functio pastoralis haud incommodè consideratur respectu duplici, nimirum tum Admittendorum, tum Admissorum ad sacrum ministerium.

II.

De Admittendis duo notanda; quales possint & debeant ad ministerium admitti; deinde quomodo debeat ministerium accipi.

III.

Ad sacrum Ecclesiæ ministerium nulli sunt admittendi, nisi qui prius explorati, & tum didactici, tum inculpati fuerint inventi.

E X E G E S I S.

Canon hic de admittendis ministris Ecclesiæ Apostolicus est, cujus *see. r.*

1. Tim. 3.
v. 2. 10.

duplex est finis: 1. Ut futuri ministri fiant, quasnam virtutes ad ministerium sacrum afferre oporteat. 2. Ut illi quibus Ecclesiarum cura est demandata, norint, quales ad munia Ecclesiastica obeunda admittere, & quosnam tanquam indignos ab iisdem arcere debeant.

Secl. 2.

Cæterum, tñ hîc de admittendis vel arcendis à pastoralis functione, nobis ex proposito sermo est: idem tamen canon observandus in reliquis sacris ordinibus & Ecclesiasticis administrationibus, quas propterea secundùm sui genera distinguemus.

Secl. 3.

Ecclesiasticarum administrationum duo sunt genera. Unum ad Ecclesiam totam, alterum ad scholam Ecclesiæ seminarium pertinet. E quibus illud generali vocabulo Ecclesiasticum, hoc angustiore, Scholasticum, quibusdam placet appellare. Administratio quæ ad totius cœtus utilitatem spectat, iterum duplex est. Una spiritualis, quæ ad rerum spiritualium procuracionem pertinet, & Presbyterium dicitur: Altera corporalis, quæ Diaconia vocatur.

Secl. 4.

Presbyterii duo certi gradus in scripturis exponuntur: Unus eorum, qui salutari verbi prædicatione, sacramentorumq; administratione, gregem Christi pascunt, 1. Tim. 5. v. 17. & communia onera nihilominus cum reliquo presbyterio subeunt. Alterum eorum qui doctrinæ, morum, rituum, totiusq; ordinis Ecclesiastici censuram observant (Saudcové Zborii) Etsi verò utrosq; scriptura interdum promiscuè vocat, Prophetas, 1. Cor. 14. v. 32. Episcopos, hoc est, Inspectores, Actor. 20. v. 28. Ductores, H. br. 13. v. 17. Presbyteros, hoc est, Seniores, Actor. 14. v. 23. Administratos, Rom. 14. v. 16. 1. Cor. 3. v. 5. Tamen & scripturæ testimoniis & communi usu, functiones istæ certis vocibus distinguuntur. Illi enim qui in verbo doctrinæq; laborant, speciali nomine Doctores & Pastores, Eph. 4. v. 11. alteri gubernatores, Presbyteri & Seniores appellantur.

Secl. 5.

Hæc de Presbyterio: Diaconia administratur vel in publico vel in privato loco. Publicè administrabitur tantùm à viris, qui inde Diaconi (Диаконы) vocantur, & sacræ Eleëmofynæ curam habent, Rom. 12. v. 8. Privatim etiam admittuntur viduæ, quæ inde diaconissæ seu diaconæ nuncupantur, 1. Tim. 5. v. 3. 9.

IV.

Expositum est quales possint ad ministerium admitti: sequitur quomodo & quo pacto debeat illud accipi. Sacrum ergo Ecclesiæ ministerium

rium nec vi, nec fraude invadendum: sed legitime à Deo & religiose ab Ecclesia vocatis, humiliter & reverenter accipiendum.

E X E G E S I S.

Quatuor sunt ministrorum Ecclesiasticorum genera: quorum duo priora propositum Canonem colunt, duo posteriora lædunt. Primum est, qui neque est ab homine, neque per hominem: sed à Deo per Jesum Christum. Huc pertinent omnes qui immediate & extraordinarie ad Ecclesiæ munia sunt vocati, idque vel nullo prorsus hominum suffragio adhibito: 1. Ipsius Dei voce, ut Abraham, Genes. 12. Moses, Exod. 3. Prophetæ omnes. Johannes Baptista, Luc. 3. 2. A filio Dei incarnato, tum cum in his terris versaretur, ut duodecim Apostoli, qui ab ipso Christo electi, vocati, constituti & ad Evangelium prædicandum sunt missi, Marc. 3. v. 14. Luc. 6. v. 13: tum cum in cælos ascendisset, ut Matthias, Act. 1. v. 24. & seqq. Paulus, qui fulgore è cælo prostratus ipsius Jesu voce Apostolus designatur, Act. 9. v. 5. 6. & 15: vel adhibitis internunciis, qui Dei vocationem tantum denunciarunt; sicut Aaron & tribus Levi per Mosis interventum, Exod. 4. & 28.

Alterum genus Ecclesiasticorum ministrorum à Deo quidem est, sed per hominem. Hujus generis sunt Timotheus & Titus, à Deo quidem, sed per Paulum insituti Evangelii præcones. Hujus generis (sed non in spirituali, verum corporali administratione) sunt septem illi viri ab ecclesia Hierosolymitana Diaconi electi, Act. 6. Hujus generis etiam sunt omnes qui hodie ordinariè, hoc est, à Deo per Ecclesiam eliguntur & consecrantur. Primum enim semper & ubique locum obtinet vocatio à Deo, secundum ab Ecclesia. Etenim Deus solus prout est Ecclesiæ parens, ita etiam est vocationum author in Christo Ecclesiæ conjugè, & solus in scripturis dare ministros dicitur, agricolasq; in arvom suum vineamq; vocare & immittere, 1. Cor. 12. v. 28. Ephes. 4. v. 11. Matth. 9. v. 32. & cap. 20. v. 1. & seqq. Ecclesia verò vocationes à Deo factas accipit, & postquam dona probavit, suffragiis suis easdem testatas facit. Quamobrem præposterè faciunt omnino & iniquissimè, qui officia in Ecclesiis ordinant sine vocatione divina, quam Deus ipse cuique tum vocato, tum vocanti Ecclesiæ testificatur Spiritu: ut bene & sanctè monet Chrysost. Homil. 53. in Matthæum.

Tertium genus ministrorum est ab homine quidem, sed non à Deo

Huc referuntur omnes, qui non Dei & Ecclesiæ testimonio, non Ecclesiæ totius, vel saltem presbyterii suffragio & iudicio: sed unius & alterius favore ac studio obtruduntur magis quàm eliguntur. De his vetus loquitur Canon: Qui Episcopatum aliosq; sacros ordines vel vendunt vel emunt, vel favore potius quàm dignitate accipiunt, Episcopi non sunt, injuriâ præsumunt, nihil profunt.

Sec. 4.

Quartum & ultimum genus ministrorum, neque à Deo est, neque ab homine, neque per hominem, sed à semetipso, ut pseudoapostoli, qui currunt & prædicant, cum non sint missi, Jerem. 23. v. 21. Rom. 10. v. 14. Itemq; omnes ii, qui ipsi honorem Ecclesiastici magisterii proprio arbitrio invadunt, vel aliis illicitis artibus ad se rapiunt, Heb. 5. v. 4.

V.

Sic de Admittendis: De Admissis ad Pastorale officium duo notanda, videlicet eorum Officium, & Præmium.

VI.

Officium ministrorum versatur vel circa doctrinam, vel circa disciplinam Ecclesiasticam.

VII.

Doctrinæ Ecclesiasticæ consideranda est figura, quæ explicatur à Forma & Fine: & Mensura.

VIII.

Forma doctrinæ consideratur respectu vel Pastorum, vel Auditorum. Priorem respectum quod attinet, munus pastorale vult, ut fidei Ecclesiæ pastores sacram & orthodoxam doctrinam purè tradant, & constanter doceant: Prophanam verò & heterodoxam non admisceant, sed animosè refutant.

EXEGESIS.

Sec. 1.

Duo sunt hominum genera Doctoribus Ecclesiasticis proposita: Alii quidem docendi, alii refellendi. Oportet igitur ministrum non solum διδασκαλόν, sed etiam ἐλεγκτικόν esse, qui & exhortari sanà doctrinà, & contradicentes convincere possit, Tit. 1. v. 9.

Sec. 2.

Hoc etiam Apostolus Paulus, non solum verbo requisivit, dum voluit ut Timotheus sanam doctrinam retineret, ac custodiret, itemq; pseudoepiscopis denunciaret, ne diversam doctrinam traderent, 1. Tim. 1. v. 3. 18. 19. sed etiam ipse opere passim in suis epistolis, egregie præstitit.

Augustinus

Augustinus quoque eleganter in eandem sententiam scribit: Debet *Señ. 3.*
divinarum scripturarum doctor, defensor rectæ fidei, & debellator erro-
ris esse, & bona docere, & mala dedocere. Nisi enim utrumque & verum
docendi & falsum redarguendi studium jungatur, fructus ex verbi di-
vini ministris speratus, faciliè intercipitur, & qui Deo lucrificandus erat
populus, pseudodoctorum prædæ patebit.

Sicut igitur bonus pastor non modò ad pascua salubria ducendis o- *Señ. 4.*
vibus, sed & in abigendis propulsandisq; lupis rapacibus occupatur: Et ut
agricola non solùm agrù æquat & conferit, sed etiam carduos & paliuros,
similesq; segetum pestes, eruncat: Item velut Magistratui civili non tan-
tum togatæ, sed & armatæ justitiæ cura incumbit: Denique quemadmo-
dum apes non modò mella stipant, sed & fucos ignavum pecus, à præsepi-
bus arcent: Ita etiam sapientiæ cœlestis doctores, oportet esse non modò
διδακτικὸς veritatis, sed etiam errorum falsitatisq; *ἐλεγκτικὸς*.

I X.

Alterum respectum, quoad Auditores scilicet, si attendas, Munus
pastorale requirit, ut Concionatores doctrinam & omnem sermonem
populari auditorum captui accommodent: Et prout præsentis temporis,
loci, & personæ conditio postulat, prædicent.

E X E G E S I S.

Concionator (inquit Abrahamus Bucholtzerus) debet concionari *Señ. 1.*
ex praxi suâ & auditorum; in primis autem auditorum. Itaque in doctrinis
& argumentis magno opus est delectu, & talia sunt tractanda, quæ audi-
tores citò animo comprehendere, & quibus tempori præsentis conve-
nienter & congruè erudiri, atq; emendari possint.

Dicendi character, neque affectatus, aut a quo sublimior sit, neque *Señ. 2.*
nimiùm humilis aut sordidus. Ille auditoribus illiteratis tædiosus & in-
fructuosus: hic ob doctrinæ majestatem odiosus. In concionibus igitur
ita moderanda erit oratio, ut gravitas perspicuitatem, & perspicuitas gra-
vitatem moderetur.

Unius ejusdemque materiæ thema non frequenter & semper tra- *Señ. 3.*
ctandum. Sacra quippe scriptura utilis est, ad

1 Doctrinam, quo pertinet $\left. \begin{array}{l} \text{ἐκθεσις,} \\ \text{ἀποδείξις,} \end{array} \right\} \text{hoc est,} \left\{ \begin{array}{l} \text{explicatio} \\ \text{demonstratio} \end{array} \right\} \text{veritatis} \text{ & } \text{dogmatis.}$

2 Redargutionem, *ἐλεγχον*, cui cohæret *λύσις*. Falsa enim dogmata non

folùm divinis testimoniis refellenda; sed eorundem quoque p utativa fun-
damenta diluenda.

3 *Correctionem*, quâ in iustitia, hoc est, omnia vitia reprehenduntur.

4 *Institutionem*, quæ est ad iustitiam tum erga Deum, tum erga homi-
nes, 2. Tim. 3. v. 16. 17.

Seç. 4.

Una insuper eademq; prædicandi forma auditoribus omnibus non
est accommodata, ut monet Gregorius in Pastoralis suo. Non una, in-
quit, & eadem exhortatio cunctis competit, quia nec cunctis par morum
qualitas; sæpè aliis officium, quæ aliis profunt, & lenis sibilus equos mi-
tigat, catulos instigat.

X.

Finis Doctrinæ Ecclesiasticæ si spectetur, æquum est, ut veri & sin-
ceri Ecclesiæ ministri, & scripturarum interpretes omnem doctrinam ex
charitate prolatam, ad auditorum ædificationem referant.

E X E G E S I S.

Seç. 1.

Scopus doctrinæ Ecclesiasticæ est ædificatio per dilectionem, à quo qui
aberrant, non sunt Theologi, sed matæologi, non doctores sed corrupto-
res, non ductores sed seductores, non boni magistri, sed mali ministri,
non Christi milites, sed Satanæ satellites, 1. Timoth. 1. v. 4. 5. 6. 7. 18. & 19.
1. Cor. 14. v. 26.

Seç. 2.

Hunc autem scopum nullus minister consequitur, nisi verâ chari-
tas omnem ejus sermonem moderetur. Moderamen verò istud è mundo
cordetanquam puro fonte, è bona conscientia, utpote integro dictorum
factorumq; teste, & è fide non ficta, quæ omnem fucum & hypocrisin re-
movet, proficisci debet. Utinam hunc Canonem quidam observarent:
qui pro suo lubitu ex vindictâ privatâ, atque in contemptum auditorum
quorundam, sermonem dirigunt: quod dum faciunt, seipos suspectos o-
mnibus reddunt, & sine fructu postea concionantur. Hi insulsi homines
& indigni concionatores non attendunt, quantum malum sit in suspi-
cionem apud gregem commissum devenire, quod tamen ab exemplo A-
postoli Pauli discere possent, qui ut persuadeat Ecclesiæ Romanæ se nihil
ex affectibus privatis in aliorum ignominiam, sed omnia ad ædificatio-
nem communem scribere, dicit Rom. 9. v. 1. 2. 3. *Veritatem dico per Chri-
stum, non mentior, (attestante mihi simul conscientia meâ per Spiritum sanctum)*

Magnam

Magnam mihi tristitiam esse, & perpetuum cruciatum cordi meo. Optarim enim ego ipse anathema esse separatim à Christo, pro fratribus meis.

Arguenda quidem sunt vitia, tum manifesta, tum arcana: sed modicè, cautè, & mansuetè. Modicè; non omnia quippe vitia sunt nimis anxie taxanda, ut artes magicæ & species libidinum. Quædam nimis accuratè reprehendere, est alios ea docere: quia curiosum est hominis ingenium, Abrah. Scultetus. Axiom. Concion. 68. Sect. 3.

Cautè; Nam & sui ipsius & aliorum rationem habebit concionator. Sui ipsius, ut in alios invehens objurgationem moderetur, cogitando,

1. An ipse sit talis?
2. An fuerit talis?
3. An possit esse talis?

Aliorum; ne unum aliquem unquam deligat, in quem reprehensionis tela dirigat. Abrah. Scultetus axiom. 69. & 70.

Mansuetè; Omnis siquidem objurgatio sit querela, & non expostulatio iracunda & scoptica. Illa prodit importunitatem, & animi impotentiam: Hæc levitatem & execrabilem omnes & omnia ridendi libidinem. Illa te reddit odiosum; hæc arguit te otiosum. In summa, *Trogen vnd schmechen ist frech: Schercken vnd auslachen ist leichtfertig.* Scult. Axiom. 71.

XI.

Sic de figura Ecclesiasticæ doctrinæ: ejus mensura est fides, quæ est unicus pastorum character, quo gregem sibi commissum diligenter signabunt; & per quem inter bonos & malos, agnos & hædos infallibiliter dijudicabunt.

E X E G E S I S.

Externus pastor sive opilio ovibus suis certa signa vel imprimit, vel appendit, quibus eas ab alienis dignoscere, & si fortè unam amiserit, certius inquirere, faciliùs recipere, & ad caulam reducere possit. Sunt item qui ex indicibus quibusdam tam sanitatem & firmitudinem, quàm putredinem & ægritudinem colligunt. Ita pastores animarum oves suæ custodiæ commissas decenti signo notabunt, id est, veram fidem per prædicationem verbi Dei ingenerabunt, ut Christi oves à peregrinis & sanas ab ægris & putridis discernere possint. Ita enim Apostolus Paulus tanquam certissimo caractere Timotheum filium suum germanum à spuris discret, 1. Tim. 1. 2.

XII.

Hucusq; de Pastoralis officio circa doctrinam. Disciplina Ecclesiastica est vel Directiva, vel Correctiva.

XIII.

Directiva disciplina vel propriam concernit pastoris personam, vel totum gregem communiter.

XIV.

Propriam pastoris personam quod attinet, officium ejus est, ut idem quod verbo, etiam exemplo doceat, & sese vivum commissi gregis exemplar exhibeat.

E X E G E S I S.

*Libr. ad
Reg. Com.
Homil. 30.
in Act. A.
post. c. 14.*

Prima virtus est (ajebat Ferrandus Carthaginensis) bene vivere: secunda, bene docere. Nam perquam facile est (inquit Chrysostomus) philosophari verbis: Doce me vitâ tuâ: Hæc doctrina est omnium optima. Melior ille est qui operibus docet: non enim ita insident animo verba, ut opera: quoniam si non habueris opus bonum, non solum non proderis loquendo, sed etiam plus oberis: Utilius fuerit tacere. Quid ita? quia sic mihi proponis opus, ut si esset ἀδύατον. Confer Rom. 2. ψ. 21. 1. Tim. 4. ψ. 12. & cap. 5. ψ. 22. & cap. 6. ψ. 11. 2. Timoth. 3. ψ. 10. Tit. 2. ψ. 7. 1. Pet. 5. ψ. 3. Sic Christus docuit & corum quæ docuit vivum exemplar fuit, & dedit nobis humilitatis & patientiæ typum, Joh. 13. ψ. 15. 1. Pet. 2. ψ. 21.

XV.

Totum gregem communiter si spectes, officii pastoris est, ut ante omnia in publicis & solennibus coetibus, tum rectam orationis constitutionem, tum aptam orantium dispositionem attendat, & observet: quin etiam abusus redarguat, prohibeat & ipsemet studiosè vitet: omnemque actionem sacram à piis votis ac precibus inchoet & iisdem finiat.

XVI.

Sic est disciplina directiva: Correctiva disciplina est vel mitior, ut Admonitio; vel rigidior, ut Excommunicatio.

E X E G E S I S.

Quemadmodum enim peccata non omnia sunt æqualia: ita non æqualiter corripi debent, sed publica publicè, privata privatim, leviora mitiùs, graviora rigidiùs corripienda sunt: ne peccator vel nimia severitate

tate absorbeatur, 2. Cor. 2. v. 2. vel nimia lenitate in peccatis detineatur,
1. Cor. 5. v. 5.

XVII.

Admonitio est vel privata vel publica: Unde pastoralis muneris est, peccatores publicè, privatos privatim, seriò quidem, sed cum lenitate spiritus admonere.

E X E G E S I S.

Admonitio est objurgatio aliquando mitior, aliquando severior, at *Set. 1.*
semper lenitate spiritus temperata. Estq; vel Domestica, vel Consistorialis. Domestica est, cum quis à pastore, sive uno aliquo vel pluribus presbyteris domi suæ de peccato admonetur. Pastoris enim partes sunt, non modò concionari ad populum, sed etiam per singulas domos monere & exhortari, Actor. 20. v. 20. Ista privatas admonitiones etiam exercere debent alii presbyteri, qui non laborant in sermone & doctrina. Neque enim semper peccata occulta ab aliquo presbyterorum observata, ad totum presbyterium deferenda sunt: sed experimentum prius faciendum, an offensio aliquo modo, aut privatâ partium satisfactione ac reconciliatione, aut bonorum virorum arbitrio sanari queat. Quod si fieri non potest, tandem ad Consistorium deferendus est.

Consistorialis ergo Admonitio, quæ etiam presbyterialis & capitularis dicitur, est cum is qui peccavit ad Consistorium, Presbyterium, aut Capitulum (*Pred Saudce*) citatur, & ibi coram toto Collegio de peccato suo à pastore admonetur & arguitur, quo acrius pungatur. *Set. 2.*

Utique tamen admonitioni tum publicæ tum privatæ duo quasi *Set. 3.*
termini sunt positi nunquam transgrediendi. 1. Lenitas spiritus seu mediocritas. 2. Sinceritas. Modestè enim sine affectu privato & animi exacerbatione; itemq; sincerè sine præjudicio & personarum respectu censura est exercenda, 1. Tim. 5. tot. cap.

XVIII.

Excommunicatio est rigidior Ecclesiæ censura & jurisdicção, quâ pastori incumbit, ut peccatores graviores & pertinaces, cum consensu Presbyterorum *a*, à communione Ecclesiæ excludat, vel (ut Apostolus loquitur) *b* Satanæ tradat, hoc est, efficaciter declaret eos sub regno & potestate diaboli esse, nihilq; amplius ad regnum Christi pertinere: ac pro-

inde à communione Cœnæ dominicæ e arceat, donec *d* resipiscentiam probabiliter saltem fuerint testati.

a 1. Cor. 5. v. 4. b 1. Cor. 5. v. 5. c 1. Cor. 5. v. 11. 13. d 2. Cor. 2. v. 6. 7. 8.

E X E G E S I S.

Disciplina hæc rigidior in Ecclesia ex mandato Christi exerceri debet. 1. Propter ipsos peccantes, ut hæc ratione pudefacti ad se redeant, & resipiscant. 2. Aliorum causâ, & quidem tum extraneorum, tum domesticorum. Illorum, ne causam habeant convitiandi & infamandi Ecclesiam. Horum, ut severitate iudicii adversus peccatores, à peccatis absterreantur, 1. Tim. 5. v. 20.

X I X.

Hactenus de officio Pastoris: Præmium ejus est duplex. Unum ab Ecclesia; alterum à Deo.

X X.

Ab Ecclesia rursus duplex, Stipendium & Honor.

X X I.

Stipendium Ecclesiæ ministris tribuendum est honestum, ut à curis & negotiis aliis liberi, officio suo rectius vacare possint.

E X E G E S I S.

Honestæ stipendia ministris deneganda non sunt, sed tribuenda. 1. Propter ipsius Dei ordinationem & mandatum, Deut. 18. v. 1. 1. Cor. 9. vers. 13.

2. Quia dignus est operarius mercede suâ, 1. Tim. 5. v. 18.

3. Quia justum est, ut qui beneficium accipit, gratitudinem exhibeat benefactori suo, 1. Cor. 9. v. 11.

4. Quia pastorale officium maximi laboris & oneris est, nec curas alias patitur ferre eum, qui hoc diligenter fungi volet.

X X I I.

Honor Ecclesiæ ministris merito exhibetur: quia illi pro animabus populi tanquam rationem reddituri, excubant.

Hebr. 13.
v. 17.

E X E G E S I S.

Honor ministris debitus consistit in his: 1. Ut auditores de illis bene sentiant. 2. Ut labores eorum candidè & sincerè interpretentur. 3. Ut verbis

1. Pet. 3. v. 1.

verbis & gestibus omnem amorem & honorem ipsis exhibeant. Atque hoc adeo verum est, ut juvenus, familiae ignobilitas, morum simplicitas & id genus alia, honorem ministris debitum non minuant, nedum tollant. Sunt, qui cum aliud non habeant ob quod ministros despiciant, vel juventutem, vel generis ignobilitatem &c. carpunt: id quod iniquum est & impium. Cum enim Deus eos tanti faciat, ut eos loco suo in Ecclesia colloquet, & eis domum suam concredat; cur tu pro talibus eos non agnosceres?

Neque Deus juvenilem aetatem & humilem sortem in donis suis *Señ. a.* excludit, sed illustria saepe dona ipsis confert. Sic Samuel juvenis ignobilis inter sacerdotes: Timotheus Pauli captivi famulus inter Pastores habitus est, 1. Tim. 4. v. 12. David opilio & juvenis egregia dedit futuri regis specimina. Unde Ambrosius gloss. super Ezech. 4. 2. dicit, Qui congrua disciplina unumquemque arguit, eruditum & probabilem doctorem in conspectu omnium sese ostendit: nec aetas juvenilis in doctore despicienda, quem vita & discretio commendat.

XXIII.

Praemium quod omnibus fideliter officio suo invigilantibus à Deo expectandum est describit Petrus (1. Epist. cap. 5. v. 4.) Cum, inquit, appueriti le pastorum princeps, reportabunt (omnes nimirum fideles gregis Dei pastores) immarcessibile illam gloriae coronam. Quod praeclarum caeleste praemium, licet non ex merito, sed ex mera gratia Dei dabitur, nihilo tamen minus indubitatae & certo omnibus fidei Ecclesiae ministris expectandum est. Sic Apostolus Paulus illud ipsum expectabat, & eo se consolabatur, dicens (2. Tim. 4. v. 7.) Certamen illud praeclarum decertavi, cursum consummavi, fidem servavi: quod superest, reposta est mihi justitiae corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, justus ille iudex: non solum autem mihi, sed & omnibus, qui expetunt illustrem ipsius adventum. Hanc aeternam coronam etiam nobis largiatur pastorum ille princeps, Dominus noster, Jesus Christus,
Amen.



EPIGRAMMA GRATULATORIUM

A D

D N. RESPONDENTEM
dilectum suum amicum.

P Astorem quæris, cuius sit cura fidelis,
Qui patriâ curâ pascere possit oves.
Quærendo invenies; inventum dilige; te ipsum
Consimilem forma; sic mihi pastor eris.
Non pecorum pastor, sed qui bene pascere mentes
Humanas dextrâ sedulitate queat.
Nam Christi qui pascit oves, sacra pabula tradit,
Ducit & ad celsi sidera celsa poli.
Quâm bene conveniunt optatis nomina rebus,
Sunt rerum certè nomina sæpe notæ.
Nomen Apostolicum, nomen simul atq; Prophetæ
Tu geris, hinc homines pascere discæ tuos.
Det Deus ut pascas hominum pia corda salubri
Pabulo, & ut Satanæ depopuleris oves.
Pastoris quem describis vestigia serva,
Et sic servabis teq; tuosq; simul.
Dum scribo hæc, jubeo Thomam salvere Dubinum,
Cui precor ut referas hæc mea verba: Vale.

*M. Henricus Gutberleth Philosophia Professor
in illustri Scholâ Herbormensi honoris er-
go fundebat ætæ ætatis, die 7. Augusti,
anno 1611.*



PRÆSES

AD

ORNATISSIMUM DOCTRINA ET PIETA-
TE RESPONDENTEM, DN. JOHANNEM
AMOS, auditorem & amicum cha-
rissimum.

Nomina qui gestas Praconum pulcra duorum,
Præco Dei verbi commodus esse studes.
AMOS Pastor erat Dominiq; Propheta Jehova;
Pastor eris Domini, tuq; Propheta Dei.
JÔHANNES servus erat Christi sincerus Iesus;
Sincerus Christi tu quoq; servus eris.
Christi servus erit SAMUEL GESSINIUS, ampla
Nempe Sacerdotis nomina jure tenet.

MATTHÆUS Titus vestrum vult cedere neutri,
opposita Scripturis nomina & ipse gerit.
Fallor? an ergo ferunt vobis hoc nomina vestra?
An qui nomen idem gloriam eandem & habent?
Omina sunt rerum quas signant nomina: pulchrè
Ergo gerant se, qui nomina pulchra gerunt,
Pulchrè vos geritis, curâ vigiliq; studetis,
Vitaq; vestra placet sobria, justa, pia.
Quin etiam specimen vobis ostendere sanum
Doctrina sana, præside me placuit.
Ergo mihi meritò vos inde placetis, & opto,
Ut doctis aliis complacatis. Amen.





EPIGRAMMA

IN

EXCULTAM EXCULTISSIMI JUVENIS,

DN. JOHANNIS AMOS, AMICI MEI SUAVISSIMI
disputationem, quæ est,

De Ministerio.

TU mihi dicaris scrutator, Jane, futuri:
Rem quia venturam, prosperitate, colis.
Ritè colis studium sacrum studiumq; ministri;
Quo pascès olim pastor ovile Dei.
Sic mihi dicendus meditator, amice, futuri:
Hoc quia venturum non sine mente vides.
Tu mihi dicaris veri sectator honesti:
Terrea nam linquens cælica dona petis.
Cælica dona parabis, & inde micabis ut alta
Lux: Patriæ Nomen, Gloria, Lumen eris.
Ergo tuum laudo studium, saniq; probabunt:
Noscere quo quæris mente, labore Deum.
Propositum collaudo tuum: Servire propinquo
Est animus; nomen nobilitare tuum.
Laudo tuam mentem, mentisq; probatur acumen:
Talia quo cernis, talia quoq; colis.
Officium, decus est, veri decorare ministri:
Hoc quia, Jane, facis, gloria summa manet.
Jova tuo ingenio faveat, faveatq; labori;
Propositi studii ne sit inanis amor.
Ille tibi benedicat; ut inde attingere metam
Exiguo possis tempore. Vive, Vale.

*Apponebam Matthæus Tornomannus
Francofurtensis.*

F I N I S.



Image Engineering Scan Reference Chart TEX3 Serial No. 490



E S

TRINA ET PIETA-
DN. JOHANNEM
amicum cha-

*m pulcra duorum,
modus esse studeo.
q; Propheta Jehove;
Propheta Dei.
Christi sincerus Iesu:
q; servus eris.
GESSINIUS, ampla
ina jure tenet.
sum vult cedere neutri,
ina & ipse gerit.
hoc nomina vestra?
oriam eandem & habent?
ant nomina: pulchre
ina pulchra gerunt,
liq; studeo,
oria, justa, pia.
ostendere sanum
me placuit.
ceteris, & opto,
natis. Amen.*

